

INCIPIT AD THESSALONICENSES I

Contents

INCIPIT AD THESSALONICENSES I

1 Paulus, et Silvanus, et Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre, et Domino Jesu Christo. ¹ ² Gratia vobis, et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, ² ³ memores operis fidei vestræ, et laboris, et caritatis, et sustententiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: ³ ⁴ scientes, fratres dilecti a Deo, electionem vestram: ⁵ quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. ⁴ ⁶ Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti: ⁷ ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, et in Achaia. ⁸ A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia, et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui. ⁹ Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo, et vero, ¹⁰ et exspectare Filium ejus de cælis (quem suscitavit a mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

2 Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit: ⁵ ² sed ante passi, et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. ⁶ ³ Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, ⁷ ⁴ sed sicut probati sumus a Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita

¹ + **1.1 Argumentum** Thessalonicenses sunt Macedones. Hi in Christo Jesu accepto verbo veritatis perstiterunt in fide, etiam in persecutione civium suorum. Præterea, nec receperunt falsos apostolos, nec ea quæ a falsis apostolis dicebantur. Hos collaudat Apostolus, scribens eis ab Athenis, per Tichicum diaconem, et Onesimum acolythum. Silvanus et Timotheus. Nominibus illorum præscribitur salutatio, sed sensus et verba hujus epistolæ solius apostoli sunt.

² + **1.2 Gratia vobis et pax.** De more suo salutationem præmittit, qua præmissa de bonis eorum gratias agit, commemorans non solum fidem et opera, sed etiam conversionis modum et malorum sustententiam.

³ + **1.3 Ante Deum.** Inde ita certi ac si jam videatis, et ita eos animat.

⁴ + **1.5 In Spiritu sancto.** Quia per me recepistis dona Spiritus, non parce, sed in plenitudine. Quales fuerimus, etc. Per hoc etiam quod nos passi sumus in exemplum vobis, patet quod Deus vos dilexit et elegit.

⁵ + **2.1 Quia non.** Hoc de illo scitis, quia non fuit in prosperitate sæculari, quæ inanis, sed in multa sollicitudine pro adversis: et propterea habuimus fiduciam non in nobis qui fragiles, sed in Domino.

⁶ + **2.2 In Philippis.** Pressuram quam hic commemorat, passus est propter spiritum pythonem, quem a puella ejecerat.

⁷ + **2.3 Exhortatio.** Hic contra pseudoapostolos videtur incipere commemorans de Evangelii veritate, deinde sua inter nos prudenti conversatione. In dolo. Etiam veritas est in dolo quando non pro amore veritatis et utilitate auditorum prædicatur, sed ut gloria vel aliud lucrum acquiratur.

loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. ⁸
⁵ Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ: Deus testis est: ⁹ ⁶ nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. ⁷ Cum possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foveat filios suos. ¹⁰ ⁸ Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam carissimi nobis facti estis. ⁹ Memores enim estis, fratres, laboris nostri, et fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. ¹⁰ Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et juste, et sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus: ¹¹ sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum (sicut pater filios suos) ¹² deprecantes vos, et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam. ¹¹ ¹³ Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis: ¹² ¹⁴ vos enim imitatores facti estis, fratres, ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa in Christo Jesu: quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis: ¹³ ¹⁵ qui et Dominum occiderunt Jesum, et prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur, ¹⁶ prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem. ¹⁴ ¹⁷ Nos autem fratres desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio: ¹⁸ quoniam volumus venire ad vos, ego quidem Paulus, et semel, et iterum: sed impedivit nos Satanas. ¹⁵ ¹⁹ Quæ est enim nostra spes aut

⁸ + **2.4 Non quasi hominibus placentes.** Hoc nisi ipse operetur in nobis, vitare nequimus. Quas enim vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor non sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia si cuiquam facile est laudem non cupere, dum negatur, difficile est tamen ea non delectari cum offertur.

⁹ + **2.5 Neque.** In hoc tangit pseudoapostolos, qui se potius quam Dei doctrinam commendari volebant. Apostolus autem, qui gloriam non ad præsens, sed in futuro quærebat, se humilem faciebat, ut Dei prædicatio exaltaretur. In occasione. Non dico in avaritiam, sed nec feci vel dixi, in quo esset occasio avaritiæ. Inde est. Deus testis, qui novit cor: hoc enim non ita patet hominibus.

¹⁰ + **2.7 Possemus vobis,** etc. Intantum gravat pseudoapostolorum causam ut se abnuere dicat, cum liceret illi subsidia requirere ad comprimendum illos quibus nec facultas erat, nec pudor poscendi. Apostolicæ autem potestatis debitum vocat onus, propter pseudoapostolos, qui illud indebite usurpantes importune a plebibus exigebant. Filios suos. Alienos filios quandoque nutrit mulier pro mercede, non ex amore: proprios vero, ex dilectione.

¹¹ + **2.12 Vocavit,** vocatione quæ est secundum propositum.

¹² + **2.13 Ideo.** Quia vos vocavit, gratias agimus. Vocavit dico, quod inde apparet, quia vos cito et firmiter recepistis verbum etc. Auditus Dei. Id est, quod audivimus a Deo, vel in quo auditur Deus. Sicut est verbum Dei. Tanta enim devotione receperunt verbum, ut probarent se intellexisse Dei esse doctrinam.

¹³ + **2.14 Vos enim imitatores,** etc. Multa dixit contra pseudo: jam ne pro sua vel apostolorum tribulatione moveantur, hortatur.

¹⁴ + **2.16 Pervenit.** Ideo semper implent peccata, quia ira Dei pervenit ut excæcentur. Usque in finem. Quia in fine sæculi convertentur Judæi nonnulli. Ore, aspectu, etc. Os et aspectus cessabant, quia coram alloqui non poterat Apostolus; sed cor et sollicitudo non quiescit.

¹⁵ + **2.18 Sed impedivit.** Quod Deus impediri permiserit, ad majorem coronam istorum est,

gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? ¹⁶ ²⁰ vos enim estis gloria nostra et gaudium.

3Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis: ² et misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos, et exhortandos pro fide vestra: ¹⁷ ³ ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. ⁴ Nam et cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis. ⁵ Propterea et ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentaverit vos is qui tentat, et inanis fiat labor noster. ⁶ Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et caritatem vestram, et quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos: ¹⁸ ⁷ ideo consolati sumus, fratres, in vobis in omni necessitate et tribulatione nostra, per fidem vestram, ⁸ quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino. ⁹ Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum, ¹⁹ ¹⁰ nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea quæ desunt fidei vestræ? ¹¹ Ipse autem Deus, et Pater noster, et Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. ¹² Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat caritatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis: ¹³ ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum et Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen. ²⁰

4De cetero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis. ²¹ ² Scitis enim quæ præcepta

quia steterunt eo absente.

¹⁶ + **2.19 Quæ est,** etc. CHRYS. Quanti est hoc ardoris? Nunquam pater et mater si simul essent congressi, et suum miscuissent desiderium, potuissent ostendere suum desiderium ex æquo respondens Paulo. Magis, inquit, exsulto propter vos quam propter coronam. Cogita ergo quantum sit integram adesse Ecclesiam quæ a Paulo fuit plantata, et egit radices. Aut corona gloriæ. Si modo gloria, quid apud verum judicem?

¹⁷ + **3.2 Ad confirmandos vos.** Propter hoc ipse venire desideraverat.

¹⁸ + **3.6 Sicut nos quoque vos: ideo.** Quia hæc annuntiavit, non pro ejus præsentia, consolati sumus.

¹⁹ + **3.9 Quam enim gratiarum,** etc. Nihil est enim tam dignum, quod sufficere possit ad compensationem acquisitæ salutis gentium.

²⁰ + **3.13 Sine querela.** Ne vos de malis conqueramini, vel ita sitis innocentes, ne quis de vobis possit conqueri, et ut sitis etiam. In sanctitate. Id est, virtutum consummatione per hoc existentes ante Deum, non ad aspectus hominum.

²¹ + **4.1 De cætero.** Hactenus patientiam perfectis in sua vel in illorum tribulatione suasit, nunc minoribus de munditia suadet, exhortans eos ad continentiam. Quemadmodum. Audiendo et intelligendo a nobis, id est a me et Silvano. Quomodo vos oporteat ambulare, etc., sic et ambuletis, recte conversando. Et placere Deo. Ille placet Deo, qui fidem rectam quam habet, executione virtutum et perfectæ operationis decorat. Sic et ambuletis. Est ordo: rogamus ut ambuletis

dederim vobis per Dominum Jesum. ²² ³ Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstinere vos a fornicatione, ⁴ ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, et honore: ²³ ⁵ non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum: ⁶ et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, et testificati sumus. ⁷ Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. ⁸ Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis. ²⁴ ⁹ De caritate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. ¹⁰ Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis, ¹¹ et opera detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis: ²⁵ ¹² et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt: et nullius aliquid desideretis. ²⁶ ¹³ Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent. ²⁷ ¹⁴ Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et surrexit: ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. ²⁸ ¹⁵ Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. ²⁹ ¹⁶

quemadmodum accepistis. Ut abundetis magis. Hoc non mutatur in ordinatione litteræ.

²² + **4.2 Scitis enim quæ præcepta.** HIER. Sanctificatio ab omni incontinentia revocat Christianum, cui incontinenti non expedit sanctum Christi corpus attingere, maxime cum Moyses Judæos sanctificare volens, populum totum ab omni femina se continere præcepit, ut Dei potiri præsentia mererentur.

²³ + **4.4 Vas suum.** Id est uxorem, possideat dominando ei, et hoc, In sanctificatione, abstinendo in festis a coitu, Honore. Non turpiter abutendo ea.

²⁴ + **4.8 Qui etiam dedit,** etc. Ad hæc peragenda dedit vobis spiritum, ne ergo tantum adjutorem spernatis, qui in corpore subdito peccatis non habitat. Vel nobis apostolis, ut major esset auctoritas prædicandi et arguendi. Rogamus autem vos fratres, etc. Non est prædictis legibus contraria exhortatio. Etenim accidebat, ut alii quidem liberaliter suppeditarent egentibus, alii vero propter eorum munificentiam, operari negligerent. Jure ergo et illos laudavit, et his dedit utile consilium.

²⁵ + **4.11 Operam detis.** Quasi dicat: Difficile est dimittere consuetudinem, sed cogite vos. Et operemini manibus. Opus agendum est, non otandum: quia et honestum est, et quasi lux ad infideles, et non de iderabitur rem alterius, nedum rogetis vel tollatis.

²⁶ + **4.12 Nolumus autem.** Post exhortationem de continentia, et post correctionem a curiositate, mortuos resurrecturos confirmat, et per Christi resurrectionem, et sua auctoritate.

²⁷ + **4.13 Per Jesum adducet cum eo.** Semper euntes, eum sequendo venerunt ad somnum mortis, unde et in alia scribitur Epistola: Nos qui vivimus.

²⁸ + **4.14 Eos.** Non solum eos qui vivi inveniuntur, sed et mortuos, de quibus dubitatis. Qui dormierunt. Christum dicit mortuum, fideles dormientes, ut magis credant resurrectionem: Christum mortuum appellat, ut dum audivimus illum mortuum fuisse et resurrexisse, nos quoque speremus resurrecturos per virtutem divinitatis ejus.

²⁹ + **4.15 Quoniam ipse Dominus.** In propria persona. In tuba Dei. ANSELM. Hæc tuba omnes excitabit et inimicos terrebit, suos ad bellum invitabit, ut expugnent adversarios, et effugiant a facie Domini atque mittantur in gehennam. Et iterum sicut tuba quondam in festis convocabat populum Hebræorum: sic hæc tuba convocabit ad solemnitatem æternæ lætitiæ populum sanctorum Deo, inquit, jubente et voce archangeli atque tuba Dei sonante. Descendet. Non humilis ut prius, sed jubens voce, vel sui ipsius vel archangeli, vel angelorum qua faciet resurgere mortuos quæ dicitur tuba, quia manifesta, vel quasi ad bellum, quæ erit Dei et Christi, cui Deus dabit effi-

Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. ³⁰ ¹⁷ Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus. ¹⁸ Itaque consolamini invicem in verbis istis.

5De temporibus autem, et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis. ³¹ ² Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet: ³² ³ cum enim dixerint: Pax et securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. ³³ ⁴ Vos autem, fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat: ⁵ omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. ³⁴ ⁶ Igitur non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus, et sobrii simus. ⁷ Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. ⁸ Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti lorica fidei et caritatis, et galeam spem salutis: ⁹ quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum, ¹⁰ qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. ¹¹ Propter quod consolamini invicem, et ædificate alterutrum, sicut et facitis. ¹² Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsumunt vobis in Domino, et monent vos, ¹³ ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum: pacem habete cum eis. ³⁵ ¹⁴ Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. ¹⁵ Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in

caciam.

³⁰ + **4.16 In nubibus.** Quia nubes suscipiet eos, ut Christum in ascensione susceperit, unde alius interpres dicit: Bajulis nubibus.

³¹ + **5.1 De temporibus.** Id est an æstate, an hieme, an die vel nocte. Et momentis. Scilicet qua hora dici vel noctis venturus sit Christus.

³² + **5.2 Dies Domini.** Hic dies est hominum pro libitu suo, sed tunc erit dies Domini. Sicut fur. Ita improvisus veniet malis tunc, quod et in obitu cujusque fit. Sicut fur, non dico die sed nocte, cum latentius venit, et homines dormiunt, tunc omnia subripit: ut qui divitem se putabat, evigilans nihil inveniat. Ita multi hic bene securi, nihil boni se habere tunc invenient. Propter hoc incœpit de temporibus ut moneret eos cavere sibi, ne ita deprehendantur.

³³ + **5.3 Cum enim dixerint.** Nam sicut in verbis Danielis invenitur: Regnabit Antichristus et ministri ejus tribus annis et dimidio, et interficientur ab illo Elias et Enoch, sicut et in Apocalypsi habetur: Et tunc erit talis tribulatio, qualis ante non fuit, nec post erit. Postea interficietur a Michæle cum maxima parte suorum.

³⁴ + **5.5 Filii lucis.** Fides est lux quæ facit diem, id est habitum virtutum; econtra tenebræ sunt infidelitas, nox habitus vitiorum. Non sumus noctis neque tenebrarum, etc. Id est, in præsentibus non torpeamus, sed vigilet mens attendens hæc caduca, et sobrie his utamur, non quasi bonis nostris sed ad sustentationem datis. Vere nos qui non sumus noctis non debemus dormire. Nam qui dormit, propter noctem dormit, id est vitia et peccata sua traxerunt eos ad hoc, ut obliti vitæ æternæ in istis requiescant, et qui ebrii sunt, his immoderate utendo; ex nocte vitiorum hoc habent. Induti lorica, etc. Sicut lorica munit vitalia, ita fides et charitas nos contra appetitum terrenorum.

³⁵ + **5.13 Ut habeatis illos.** Necessaria eis ministrando, et reverentiam dignitati exhibendo. Quid enim prodest honorem sine fructu habere? Sicut divitiæ negligentiam pariunt salutis, ita egestas dum satuari quærit, a justitia declinat. Ideo in alia epistola præcipit presbyteros duplici honore esse honorandos.

invicem, et in omnes. ³⁶ ¹⁶ Semper gaudete. ¹⁷ Sine intermissione orate. ¹⁸ In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. ³⁷ ¹⁹ Spiritum nolite extinguere. ²⁰ Prophetias nolite spernere. ²¹ Omnia autem probate: quod bonum est tenete. ²² Ab omni specie mala abstinete vos. ²³ Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. ³⁸ ²⁴ Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet. ³⁹ ²⁵ Fratres, orate pro nobis. ²⁶ Salutate fratres omnes in osculo sancto. ²⁷ Adjuro vos per Dominum ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. ²⁸ Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.

³⁶ + **5.15 Malum pro malo.** Tunc malum pro malo redditur, si corripiendus non corripitur, sed prava dissimulatione negligitur. In omnes, etc. Generaliter ad omnes. Sine intermissione. Id est, semper juste vivite et æterna desiderate. Justus nunquam desinit orare, nisi desinat justus esse. Semper orat qui semper bene agit. Ipsum enim desiderium bonum, oratio est; et si continuum est desiderium, continua est oratio.

³⁷ + **5.18 In Christo.** Est ostensa voluntas Dei, quia hæc fuerunt in Christo, in quo nihil Deo displicuit. Spiritum nolite. Quia voluntas Dei est facere hæc omnia, vos majores qui habetis per Spiritum sanctum, donum intelligentiæ, nolite illud abscondere, quo merito et vos perderetis. Vos subditi prophetias illorum nolite spernere, tamen non omnia indiscrete accipiatis, sed probate, id est ratione discutite, et quod bonum invenitur tenete. Spiritum nolite extinguere, id est: Si cui Spiritus sanctus ad aurem quid revelat, noli prohibere loqui quod sentit. Spiritum sanctum qui datus est nobis, non quantum in se, sed in nobis, exstinguimus, dum peccando fugamus.

³⁸ + **5.23 Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia,** etc. Id est, ego ita prælatos et subditos moneo, ipse autem Deus est qui potest. Spiritus vester. Ratio servetur integra, non consentiendo carni. Et Anima. Id est, sensualitas servetur integra, serviendo rationi. Et corpus. Ut nihil agatis ejus ministerio. Unde aliquis conqueratur. Aliquando inquinatur anima per cogitationem malam et est mundum tamen corpus. Ideoque spiritum integrum in homine dicit esse debere. Si autem mala vita, vel cogitatio intercedat, non erit spiritus. Spiritus et anima et corpus quibus homo constat, scilicet illud quo intelligimus, et illud quo vivimus et illud quo visibiles et contrectabiles sumus, quæ rursus duo dicuntur, quia sæpe anima cum spiritu nominatur. Sine querela. Aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita Unigenito dictum est. Aliud est esse sine querela, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit. Quia est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista conversatione, justa querela esse non possit. In adventu. Hoc est usque ad finem vitæ.

³⁹ + **5.24 Fidelis.** Quasi dicat: Oro ut sanctificet, ut sanctificatos servet, nec inde dubitandum est, quia verus est in promissis, qui vocavit vos ad hoc ut sancti essetis.